

INNOCENTIUS VI.

P A P A CXIX.

ANNO DOM. MCCCLII.



Stephanus Alberti, Patria Lemovicensis in loco de Monte dicto natus, primum Episcopus Noviomensis, unde translatus est ad Ecclesiam Claromontensem, mox S. R. E. Presbyter Cardinalis tit. SS. Joannis & Pauli, ac postmodum Ostiensis Episcopus electus est Romanus Pontifex die 18. Mensis Decembris anni 1352. & Innocentius VI. appellari voluit: Coronatus autem est die 30. ejusdem Mensis. Sed in Pontificatu annos IX. Menses VIII. dies XXV. imperantibus in Oriente Joanne Paleologo, & Joanne Cantacuzeno, in Occidente vero Carolo IV. Obiit die 12. Septembris anni 1362. & sepultus est Avenione in Ecclesia Beatæ Mariæ de Donis. Vacavit Sedes Mensum unum dies XVI.

Jurisdictione, & Facultates Egidii S. R. E. Cardinalis Legati, & Vicarii Apostolici totius Status Ecclesiastici.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Egidio, Tituli Sancti Clementis, Præbytero Cardinali, Apostolica Sedis Legato, ac in Provincia Patrimonii beati Petri in Tuscia, Ducatus Spoletani, Marchiæ Anconæ, ac Romandiolæ, Campaniæ, & in Maritimæ Provinciis, ac in Civitatibus, & terris, & aliis omnibus Romanæ Ecclesiæ immediate subiectis, & intra terminos tuæ Legationis constitutis, nostro, & ejusdem Romanæ Ecclesiæ in temporalibus Vicario Generali, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

CUM onus universalis regiminis Domini Gregis superna dispositione inunctum attendimus, & nostrum attentè prospicimus imperfectum, videntes nullo modo per nos ipsos posse exolvere debitum Apostolicæ servitutis, nonnumquam Fratres nostros S. R. E. Cardinales, viros electos ex millibus scientia præditos & virtute, in quibus timor Domini sanctus permanet, in solitudinis partem assumimus, eosdemque in universas Mundi Provincias & partes, incumbentibus negociis designantes, ut ipsis vices nostras suppleantibus, in eisdem & ipsorum cooperatione laudabili nostri oneris alleviationem facientibus, nos ministerium nobis commissum, favente divina gratia, facilius & efficacius exequamur.

§. 1. Sane, licet ad eunctorum Christi fidelium curam, & regimen, veluti ipsarum ovium pastor & rector, intente mentis nostras aciem extendamus; Provincias tamen, & terras temporaliter Apostolicæ Sedi subiectas, & ipsarum populos diversos ipsius Romanæ Ecclesiæ speciales filios & devotos, præcordialius intuemur, & super eorum felici regimine, & statu prospero & tranquillo, specialius affectibus peculiaribus cupimus providere. Attendentes itaque quod tu potens opere & sermone, quem in magnis expertum & arduis, probitate ac fidelitate probatum, gratiarum Dominus scientiæ magnitudine, industriæ claritate, maturitate consilii, morum elegantia, & aliis grandium virtutum titulis insignivit, in cujus affectu geritur, ut indubitanter tenemus, pacificare discordes, sedare fluctuationes, & turbines, justitiæ terminos colere, & errantes ad viam rectam reducere, veritatis, quod nos absentes repugnante natura non possumus assistere, commissam tibi curam divina gratia, prudenter, & fideliter exequeris, matura cum Fratribus nostris deliberatione præhabita, de ipsorum communi consilio & assensu,

§. 2. Te in Patrimonio B. Petri in Tuscia, Ducatu Spoletano, Marchiæ Anconæ, Romandiolæ, Campaniæ, Maritimæ Provinciarum, ac omnibus, & singulis civitatibus, &

Exordium

Causa Legatorum deputandi.

Egidius Cardinalis talis deputatur in Status Ecclesiæ Romanæ.

ter.

Bull. Rom. Tom. III. Pars II.

Facultates de tur eidem.

Causas omnes cognoscendi.

Barones, alioque puniendi.

Omnesque deputandi Officiales.

Culpabiles puniendi.

Diffidia componendi.

Pactiones contrabonum iniunctas cassandi.

terris ejusdem Romanæ Ecclesiæ temporaliter, mediate vel immediate subiectis, infra terminos legationis tuæ, ut præmittitur, nostrum, & ejusdem Romanæ Ecclesiæ Vicarium in temporalibus, reformatorem, ac pacis & Provinciarum conservatorem constituimus Generalem, circumspeditioni tuæ Patrimonium, Ducatum Marchiæ Anconæ, Provincias, civitates, & terras prædictas, præfatæ Romanæ Ecclesiæ nomine, prout & in quantum ad Romanam Ecclesiam pertinet, reformandi, regendi, gubernandi, & administrandi, ac in eis jurisdictionem plenariam, prout & in quantum ad dictam Ecclesiam pertinet, vel pertinere poterit, exercendi.

§. 3. Civiles & criminales causas, per te vel alium seu alios audiendi, examinandi, discutendi, & causarum cognitionem, & decisionem, alii seu aliis, communiter vel divisim, generaliter vel specialiter committendi, & ad te cum placuerit, revocandi.

§. 4. Omnesque & singulos cujuscumque excellentiæ, auctoritatis, nobilitatis, præeminentiæ, conditionis, aut status existant, quos justitia suadente privandos videris, privandi eos statibus, dignitatibus, honoribus, Principatibus, Ducatibus, Marchionatibus, Comitibus, Baronibus, dominiis, terris, feudis, retrofeudis, jurisdictionibus, juribus, rebus, & bonis mobilibus quibuscumque, easque dictæ Romanæ Ecclesiæ confiscandi, & applicandi.

§. 5. Ac in Patrimonio, Ducatu Marchiæ Anconæ, Provinciis, civitatibus & terris ejusdem, Rectores, Potestates, Capitaneos, Vexilliferos & Castellaneos, Judices, & quoscumque officiales alios generales, temporales, vel spirituales, & officia prædicta, & alia omnia & singula, generalia & specialia, quocumque nomine vel titulo fungantur vel nuncupentur, prout ad Romanam Ecclesiam pertinerit, creandi, constituendi, instituti, suspendendi, removendi, deponendi, & destituti.

§. 6. Et culpabiles civiliter & criminaliter per te vel alium, seu alios puniendi, & querelas contra ipsos per quoscumque propositas audiendi summarie, & de plano iudicandi, & emendas & satisfactiones debitas fieri faciendi.

§. 7. Inter Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Dominos temporales, nobiles & personas alias, Communitates, & Universitates, ac populos, & omnes alios, & singulos discordes, & dissidentes, Patrimonii, Ducatus Marchiæ, Provinciarum, civitatum, & terrarum prædictarum pacem, & concordiam reformandi, & inter ipsos treguam indicendi, ipsosque ad eas earumque conservationem quibuscumque poenis, & distinctionibus ac sententiis, prout ad dictam Ecclesiam pertinet, concordem in caritatis æternæ vinculo confirmandi.

§. 8. Colligationes, considerationes, pactiones, conventiones, societates & ligas contra Romanam Ecclesiam, vel contra bonum pacis, & statum illarum partium pacificum, seu in præjudicium, seu damnum Patrimonii, Ducatus Marchiæ, Provinciarum,

civitatum, & terrarum prædictarum initas ac etiam ineundas, cassandi, & annullandi, & poenas super illis adjectas, vel adjiendas relaxandi.

§. 9. Occupata injuste ab occupatoribus & detentoribus quibusvis eripiendi & recuperandi, ejectos, & expulsos a locis, & rebus ac bonis suis quibuscumque inique privatos, ad loca, & bona eorum propria reducendi, restituendi & reintegrandi.

§. 10. Et super quibuscumque delictis forte factis, rebellionibus per quascumque Universitates, vel singulares personas commissis, vel in posterum Vicariatus tui tempore committendis, dispensandi, componendi, concordandi, & delinquentes ad Ecclesiam Romanam gratiam & obedientiam reducendi, & super inhabilitatibus, & infamiis, quas propterea incurrerint, dispensandi, & Universitates, & personas hujusmodi ad statum pristinum integrum reducendi.

§. 11. Generales & particulares exercitus in auxilium, & protectionem ejusdem, Ecclesiæ, status pacifici Patrimonii, Ducatus Marchiæ, Provinciarum, civitatum & terrarum prædictarum, & contra rebelles, & status pacifici turbatores, & quoscumque, ex causis & aliis quibuscumque, & quomodocumque videbitur indicendi, faciendi, congregandi.

§. 12. Hostes, rebelles, & contraditores quoslibet per admonitionis, privationis, depositionis, relegationis, præscriptionis perpetuæ vel temporalis, sententias, prout ad ipsam Ecclesiam pertinerit, sublato appellationis obstaculo, compescendi & coercendi. Et de causis appellationum ad Sedem Apostolicam cognoscendi, & eas sine debito terminandi, ac finiendi, ordinandi, & statuendi, & reali executioni mandandi.

§. 13. Et omnia, quæ ad hujus pleni Vicariatus in temporalibus, & reformatoris officium pertinent, & quæ necessaria, vel utilia fuerint quocumque modo in præmissis, & ea tangentibus, & quomodolibet eorundem, & quæ ad honorem, & commodum ejusdem Romanæ Ecclesiæ, ad utilitatem, & prosperum & tranquillum statum Patrimonii, Ducatus Marchiæ, Provinciarum, civitatum & terrarum prædictarum cedere videris, & tibi visum fuerit expedire.

§. 14. Non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis & literis Apostolicis, vel imperialibus, sub quorumcumque verborum, expressione concessis & contrariis, etiam Patrimonii, Ducatus Marchiæ, Provinciarum, civitatum, terrarum prædictarum statutis, consuetudinibus observatis, per quæ nullum cuique, cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, excellentiæ, conditionis, aut status fuerit, in hac parte volumus adferri suffragium, concedentes liberam & plenariam facultatem.

§. 15. Vicariatus autem curam, regimen, gubernationem, administrationem potestatem, ac jurisdictionem hujusmodi, tandem volumus perdurare, donec per Sedem eandem aliud contigerit ordinari.

§. 16. Nos insuper processus, sententias, Bull. Rom. Tom. III. Pars II.

Occupata recuperandi.

Cum delinquentibus componendi.

Exercitus comparandi.

Hostes compescendi.

Aliaque hujus generis opportuna faciendi.

Obstantium derogatio.

Tempus Legationis indefinitum.



Faciendis omnibus roboratur.

Per hac Reformationem ab officio Officialibus Romanis Eccl. nullum vult inferri prajudicium.

Obedientia Legato prestanda.

Dat. die 31. Maii 1353. Anno I.

Ex Regest. in Archiv. Vatic.

Causa ferenda huius le. gis.

Prohibitio de qua in Rubrica.

atque penas, quos & quas proferri, ac etiam que per te rite fieri contigerit, rata habebimus, & faciemus, auctore Domino, inviolabiliter observari.

§. 17. Per hac autem Reformationem, & Officialibus in Patrimonio & Ducatu Marchie, Provinciis, civitatibus & terris predictis, per Sedem Apostolicam constitutis, quominus jurisdictionem, & potestatem eis concessam, quamdiu in suis officiis & administrationibus preederint, exercere libere, sicut prius valeant, non intendimus aliquod prajudicium generari.

§. 18. Ut igitur premissa omnia & singula, melius plenius & utilius exerceri possint, universis & singulis Patrimonii, Ducatus Marchie, Provinciarum, civitatum & terrarum predictarum Reformationibus, vicereformationibus, Potestatibus, Capitaneis, Officialibus & ceteris nostris & Ecclesie subjectis, cuiuscumque status, preeminentiq; dignitatis ecclesiasticę vel mundane, Ordinis vel conditionis existant, damus districtius in mandatis, ut tibi efficaciter pareant, & intendant. Nulli ergo, &c.

Datum apud Villam Novam Avenionensis Diocesis, 2. Kalend. Junii, Pontificatus nostri Anno primo.

II.

Quod Rectore Provinciarum Rom. Ecclesia Processus a Theaurariis contra non solventes Census eidem Ecclesie debitos factos suspendere, aut cassare &c. eidem Theaurariis inconsultis non possint.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Multorum sepe reatio nostrum pulsavit auditum, quod Rectores Provinciarum, Civitatum, Castrorum, Terratum & aliorum Locorum ad Nos, & Ecclesiam Romanam immediate spectantium, dum pro recuperandis, & exigendis Census & aliis Juribus eidem Ecclesie debitis, contra Universitates, seu Communitates vel singulares personas Civitatum, Castrorum, Terrarum, aliorumque Locorum subditorum eidem, aliquos spiritualiter seu temporaliter contigit haberi processus, Rectores ipsi ad suspensionem seu relaxationem processuum huiusmodi non satisfacto de huiusmodi Census & juribus eidem Ecclesie sine consultatione, & conscientia Theaurariorum Provinciarum, Civitatum, Castrorum, Terrarum & locorum ipsorum pro eadem Ecclesia, quorum intererat de his habere notitiam, processerunt in grave prajudicium Ecclesie memorate.

§. 2. Volentes itaque indemnitati jurium in hac parte ipsius Ecclesie providere, universis & singulis Reformationibus Provinciarum, Civitatum, Castrorum, & Locorum ipsius Ecclesie presentibus & futuris auctoritate Apo-

stolica districtius inhihemus, ne Processus aliquos spirituales, vel temporales per eos & quemlibet eorum habitos, vel habendos pro exigendis & recolligendis, ac recuperandis huiusmodi Census & aliis quibuscumque juribus Ecclesie memorate absque speciali conscientia & consensu Theaurariorum, qui tempore fuerint, suspendere, relaxare, cassare, aut annullare presumant: suspensiones relaxationes, cassationes & cancellationes si quas contra inhibitionem nostram huiusmodi fieri contigerit, decernentes irritas & inanes.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre constitutionis infringere &c.

Datum apud Villam Novam Avenionensis Diocesis Kalendis Junii Pontificatus nostri Anno Primo.

III.

Cassatio Factorum a S. R. E. Cardinalibus: ante electionem Summi Pontificis in prajudicium auctoritatis ejusdem initorum.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Solicitude Pastoralis officii sicut exigit, ut prospiciamus, ne Ecclesie in Juribus suis minorationis detrimentum suscipiant, sic profecto requirit, ut Ecclesie Romanae, cui auctore Domino preedemus, honores, libertates, & Jura solertioris diligentia studio servemus a diminutione qualibet illibata.

§. 1. Dudum siquidem per obitum felicitis recordationis Clementis PP. VI. Predecessoris nostri Apostolica Sede vacante Venerabiles Fratres nostri S. R. E. Cardinales, de quorum numero tunc eramus, ad tractandum de hiis, que circa electionem Romani Pontificis incumbant, Avenionis in Palatio Apostolico, ubi Predecessor idem obierat, insimul congregati, in scriptura quadam, cujus tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, concordarunt: & deinde quidam eorum simpliciter juraverunt, ac Nos & quidam alii sub hac conditione juravimus: scilicet, si & in quantum scriptura huiusmodi de jure procederet: quod ille ex eis, quem assumi contingeret ad Papatum, omnia in eadem scriptura contenta inviolabiliter observaret, & quod eadem die, qua foret, ut presertur, assumptus profiteretur, ea omnia & singula se fideliter servaturum, rataque habiturum super eis prestata jura.

§. 2. Postmodum vero Nos ad Officium huiusmodi licet insufficientibus meritis divina dispositione vocati, premissa omnia recensentes, & attendentes, quod licet Cardinales iidem ad ea faciendum habuerunt rectum zelum, & aliquibus etiam videretur, Nos debere illa & prestata super eis, ut premititur, jura servare: quia tamen dicti Cardinales prohibentibus Constitutionibus felicitis recordationis Gregorii X. & Clementis V. Predecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, quibus cavetur, quod Cardinales eadem Sede vacante

Clausula.

Dat. die 1. Junii 1353. Anno I.

Ext. in eod. Regest.

Exordium.

In Conclavi Clemente VI. a oratio habito Cardinalis nonnullas intere passionis preterit ad observantiam Sacramento.

Huiusmodi passionis prohibentur in Constitutionibus Gregorii X. & Clementis V.

Romani Pontificis iudicium potestatem.

Nullius esse momenti declaratur.

Passiones huiusmodi quomodo fuerint.

De consensu Cardinalium ad illi requirendo.

de quibuscumque negociis, praterquam de provisione Romane Ecclesie facienda certis dumtaxat exceptis casibus, de quibus tamen aliquis contentus in scriptura huiusmodi non existit, se intromittere nequeant: ad ea procedere minime poterunt: & considerantes attentē, quod scriptura ipsa in diminutionem, & prajudicium plenitudinis potestatis ex ore Dei collate soli dumtaxat Romano Pontifici dignoscitur procul dubio redundare: cum per eandem scripturam prefate Sedi grande ac perpetuum prajudicium imminere manifeste, dum potestas huiusmodi adimitur eidem Romano Pontifici, certisque regulis & limitibus sibi prefatis ab homine coarctatur: nec minus intuentes, quod esset apud Catholicos temerarium & insanum, asserere vel sentire, quod Romanus Pontifex Succesor Petri & Vicarius Iesu Christi non sit vocatus & assumptus in plenitudinem potestatis: que profecto apud ipsum non esset, si ex aliorum consensu vel arbitrio amminiculo dependeret: quodque illa juramenta non canonica imo temeraria sunt censenda, que non solum in Romane, quinimo in cuiuslibet alterius Ecclesie prajudicium lesionemque prestantur: habita super hiis & nonnullis aliis que nostrum ad id animum rationabiliter induerunt, cum quibusdam ex eisdem etiam Cardinalibus, ac pluribus Doctoribus, & Jurisperitis aliis deliberatione matura, ad omne scrupulum, & dubium in hac parte tollendum, auctoritate Apostolica tenore presentium declaramus eodem Cardinalibus contenta in scriptura huiusmodi facere nullatenus potuisse ac illa & omnem eorum effectum nullius fuisse, ac esse penitus roboris vel momenti: Nosque vel Succesores nostros Romanos Pontifices, seu Cardinales ipsos ad illorum & iramentorum predictorum observantiam non fuisse nec esse obligatos quomodolibet vel astrictos.

§. 3. Tenor vero dictę scripturę talis est infrascriptus.

§. 4. Deliberatione plena habita pro bono publico concordant omnes Domini Cardinales nemine discrepante in primis, quod Summus Pontifex Domino providente creandus nullo unquam tempore ex quavis causa procedat ad creationem Cardinalium, nisi secundum modum & formam inferius denotatos: videlicet quod non creetur seu faciat aliquos Cardinales, donec numerus Cardinalium venerit ad numerum sexdecim Cardinalium aliis, qui essent supra numerum sexdecim, de medio iam sublatis, & tunc assumat, si ei videbitur tot quot ascendat ad plus usque ad numerum viginti, & non ultra predictis sexdecim, aut paucioribus si forte tunc superessent in viceno numero computatis.

§. 5. Quos quidem Cardinales per Papam creandos ipse creare & hordinare habeat de omnium Cardinalium tunc superexistentium, seu duarum partium eorumdem consilio & consensu: hoc tamen salvo, quod extante numero, qui nunc est, vel forsitan pauciore, assumat Papa si voluerit, duos Cardinales de consilio omnium Fratrum seu maioris partis eorum.

§. 6. Item quod Papa non procedat ad depositionem, seu personę captionem alicuius

Cardinalis sine consilio & consensu omnium Fratrum nemine discrepante, nec ad excommunicationem, vel aliam censuram Ecclesiasticam, seu suspensionem vocis, vel Consistorii seu portationis Cappelli, nec ad privationem, nec etiam ad suspensionem Beneficiorum ipsorum Cardinalium sine consensu omnium Fratrum, aut duarum partium eorumdem.

§. 6. Item quod Papa nullo modo ponat manum in bonis quorumcumque Cardinalium eis viventibus & defunctis.

§. 7. Item quod Papa Provincias, Civitates, Castra, aut Terras alias Ecclesie Romane non alienet, aut in feudum vel emphyteusim, aut sub certo censu concedat: & ubi alienationem seu concessionem predictas iuxta & rationabili causa fieri expediret, de consilio & consensu omnium Fratrum, seu duarum partium eorum ad predicta procedat.

§. 8. Item quod Collegium Cardinalium percipere & habere debeat iure suo medietatem omnium fructuum, reddituum, proventuum, multarum, condemnationum, & censuum, & omnium aliarum obventionum, & emolumentorum ad Ecclesiam Romanam spectantium, in quibusvis Provinciis ac terris & locis Romane Ecclesie, prout in Privilegio felicis recordationis Nicolai Papę IV. super hoc concessio plenius continetur.

§. 9. Item quod tam in Romana Curia, quam in Terris & Provinciis Romane Ecclesie Officiales in temporalitate majores de consilio & consensu Cardinalium omnium, seu maioris partis ipsorum instituantur, seu destituantur, prout in predicto Privilegio, seu Constitutione prefati Domini Nicolai Papę IV. noscitur apparere.

§. 10. Item quod ad Officium Marescalli Romane Curie, & Reformationum Terrarum, seu Provinciarum Romane Ecclesie nullus de consanguinitate, vel affinitate Romani Pontificis assumatur.

§. 11. Item, quod Summus Pontifex nulli Regi vel Principi, seu cuivis alii in Regnis Provinciis, seu Terris eorum concedat decimas, nec tertias decimarum, seu subsidia alia, nec etiam Camera sue reservabit sine consilio, & consensu omnium Fratrum, vel saltem duarum partium eorumdem, & tunc causa justa & rationabili suadente.

§. 12. Item quod Papa non impediatur, quin omnes & singuli Cardinales in consulendo & consentiendo liberum habeant arbitrium in agendis.

§. 13. Item quod omnes Domini Cardinales, qui hodie super sunt, jurare habeant, quod ille ex dictis Cardinalibus, qui ad Papatum prestante Domino assumetur, predicta diligenter, & inviolabiliter observabit: & nihilominus ille, qui ad Papatum assumetur, si ve Cardinalis, si ve alius assumptus fuerit, & a Cardinalibus receptus, eadem die omnia & singula supradicta profiteatur fideliter observare, & ratum habeat prestatum iuramentum.

§. 14. Item, quod si aliquod dubium occurrerit vel incidit, vel Papa videbitur in predictis Dominus Papa cum consilio & consensu saltem duarum partium Cardinalium habeat declarare.

De Bonis Cardinalium, quod non fiat sub ejus jure.

De alienatione Bonorum Ecclesie non faciendę, nisi de consensu Cardinalium.

De medietate fructuum Rom. Ecclesie percipiendę.

De institutione, & destinatione Officialium Provinciarum &c.

De consanguinitate in Marescallum non eligendo.

De Decimis imponendis.

De libertate Cardinalium in consulendo.

De observantia harrum Patrimonium.

De adhibendis in consilio Cardinalibus in rebus dubiis.



Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis infringere &c. Datum apud Villam novam Avenionen. Diocesis secundo nonis Julii Pontificatus nostri anno I.

I V.

Quod in Statu Ecclesiastico Homicida ad pecuniariam compositionem non admittantur.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Sicut facilitas veniae incentivum prebere affolet delinquendi, sic rigor terminum ponit excessibus & aditum interdicat errori.

§. 1. Sane ad audientiam nostram molestis nobis insinuatione fide digna perduxit, quod in nonnullis Terris Ecclesiae Romanae immediate subiectis, de consuetudine vel alias observatur, quod homicida quilibet, tum tamen cum interfecti consanguineis pacem habeant, & de pace huiusmodi per instrumentum facere fidem possint, per Officiales ipsius Ecclesiae ad compositionem pecuniariam indifferenter & passim & frequenter pro quantitate valde modica admittuntur: Unde fit, quod dum homicida iidem reatus sui poenam modici pretii venalitate mercantur, sumpta ex impunitate licentia in culpam facile prolabantur, & ex hoc malignandi exemplo in alios derivato sevit malus frequenter in bonum, lacescit improbus probum, potens opprimit humilem, & gravat sepe noxius innocentem.

§. 2. Cum autem publicae utilitatis interfit, ut maleficia non remaneant impunita; Nos huic morbo, qui jam chronicus factus ferrum expetit, volentes congruam adhibere medelam, omnibus & singulis Rectoribus, & aliis quibuscumque Officialibus quarumcumque Provinciarum, Terrarum, Civitatum, Castrorum, & aliorum Locorum ipsius Ecclesiae praesentibus & futuris auctoritate Apostolica districtius inhibemus, ne pro reatu cuiuscumque homicidii aliquem ad compositionem pecuniariam praesumant admittere homicidam: compositiones, si quas contra inhibitionem nostram huiusmodi fieri contigerit, irritas & inanes, & homicidas ad compositiones admittos admittione huiusmodi non obstantes, sicut erant ante compositiones easdem, subditos esse legibus decernentes.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus & statutis ac huiusmodi & aliis observantiis contrariis quibuscumque: quae omnia quoad haec iuris vacuamus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae Constitutionis infringere &c. Datum apud Villam Novam Avenionen. Diocesis Idibus Julii Pontificatus nostri Anno Primo.

Dat. die 15. Julii 1353. An. I.

Clausula.

Constitutio de qua in Rubrica.

Causa edendae legis.

Exordium.

Ex eadem Regest.

Litterae Processus Clem. V. & Joan. XXII. contra Inuadentes, vel alias quomodolibet Siciliae Regnum occupantes promulgatae, extenduntur ad Beneventanam Civitatem.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Debemus subiectis omnibus adversus insolentiam perverforum protectionis opportuna praesidium, sed eis maxime promptiori studio adesse nos convenit, qui Romanae immediate subiecti Ecclesiae nullum agnoscunt praeter Romanum Pontificem defensorem, ut sicut eidem Ecclesiae specialiter subsunt, sic eius specialiter sentiant favorem propitium in opportunitatibus eorumdem.

§. 1. Dudum siquidem felix recordationis Clemens Papa V. Praedecessor noster ex certis causis rationabilibus tunc expressis universis & singulis Clericis & Laicis, cuiuscumque conditionis status ordinis, vel praeminentiae forent, etiam si Pontificali, vel Imperiali, seu Regali, vel quavis alia dignitate fulgerent, Universitatibus quoque, & Communitatibus quibuscumque auctoritate Apostolica expresse prohibuit, ne Regnum Siciliae vel Terram citra Farum, seu partem vel aliqua loca ipsorum aut alterius eorumdem quovis colore quesito invadere, vel offendere seu propter hoc recipere, vel exhibere stipendia praesumerent, aut super hiis praesumptoribus ipsis praestare publice vel occulte, directe vel indirecte consilium, auxilium vel favorem; in omnes & singulos qui contra inhibitionem huiusmodi venire praesumerent, etiam si praedictur, Pontificali aut Imperiali seu Regali vel quavis dignitate alia praeminerent, de Fratrum suorum consilio excommunicationis, quam eo ipso incurrerent, sententiam promulgavit: ipsorumque terras & loca, aliaque Civitates & Communitates, ac Universitates contra praemissa vel praemissorum aliquod attentantes ecclesiastico interdictione subiecit.

§. 2. Et deinde eodem Praedecessore, sicut Domino placuit, sublato de medio pie memoriae Joannes Papa XXII. dicti Clementis Successor Praedecessor noster ad apicem Apostolicae dignitatis assumptus, omnibus & singulis tam Clericis quam Laicis, cuiuscumque status, ordinis, conditionis, praeminentiae, vel dignitatis existerent, etiam si Pontificali vel Imperiali seu Regali aut quacumque alia dignitate fulgerent, ac Universitatibus, Communitatibus, & Populis Civitatum, Castrorum, & aliorum quorumcumque locorum ubicumque consistentium similiter inhibuit, ne per se vel alios dicta Regnum Siciliae, seu Terram citra Farum, vel homines consistentes infra Regnum & Terram praedicta, sive aliquos ex eis, seu partem ipsorum Regni vel Terrae, aut aliqua ipsorum vel alterius eorumdem loca impugnare, offendere, molestare, turbare, vel invadere quovis modo, aut iniurias, damna, violentias, rapinas aut depraedationes seu spolia vel incendia, sive secundo vel metendo seu consulendo aut

Causa 2. Clemente V. ne utriusque Siciliae Regnum invaderetur.

Hoc firmans Joannes XXII. peculiare poenas adiecit contra molestiam illis inferentes eorumdem Regnum incolis.

Damnata, siquique prohibet.

Dat. die 29. Julii 1353. Pont. An. I.

Lite.

comburendo segetes eorumdem, aut vineas seu quascumque fructiferas arbores incidendo, seu etiam devastando, vel quocumque alio modo seu damnificationis genere damnificare praesumerent, sive praestare super hiis praesumentibus ipsis per se vel alium seu alios directe vel indirecte publice vel occulte consilium auxilium vel favorem, ac in omnes & singulos contra inhibitionem huiusmodi venire aut attentare per se vel alios praesumentes, tam Clericos quam Laicos, etiam si, ut praedicitur, Pontificali aut Imperiali sive Regali vel quavis dignitate alia, praesulgerent, de Fratrum suorum consilio praeter poenas & sententias praedictas excommunicationis, quam eo ipso incurrerent, sententiam promulgavit: ipsorumque Terras, & quaslibet Universitates, Communitates, & Populos ac Civitates, Castra, & loca contra praemissa vel praemissorum aliquod attentantes ecclesiastico interdictione subiecit, & eos ac ipsorum singulos omnibus privilegiis, indulgentiis, libertatibus, gratiis, & immunitatibus realibus & personalibus, quae ab eadem Ecclesia vel Imperio Romano, cuius Imperii gubernatio administratio & cura tunc temporis cum Imperatoris caret regimine, ad eundem Praedecessorem Joannem plenarie pertinebat: concessis eisdem, nec non feudis bonis honoribus officiis & iuribus, quae ab Ecclesia ipsa vel Imperio praedictis obtinebant, de praedictorum Fratrum consilio eadem auctoritate privavit, ac eos & illas, & similia ipsorumque filios, & Nepotes ad quolibet Ecclesiastica Beneficia, dignitates, personatus, & officia cum cura vel sine cura, auctoritate quorumcumque obtinenda usque ad tertiam generationem exclusive reddidit inhabiles, & indignos: & decrevit idem Praedecessor auctoritate praedicta, quod processus suus huiusmodi & in ipso contenta obtinerent plenam vim constitutionis, & ordinationis perpetuae firmitatem.

§. 3. Nuper autem ad audientiam nostram molesta nobis multorum insinuatione fidedigna perduxit, quod licet dilecti Filii Commune Civitatis Beneventanae ad Nos & ipsam Ecclesiam nullo medio pertinentis a nonnullis Nobilibus, & potentibus, ac aliis vicinis eorum, quorum inhiabat, & inhiat illicitus appetitus, & qui eidem Civitati ad modum sunt infestis, multa dudum fuerint damna passi: a paucis tamen elapsis temporibus Regno Siciliae, ac Terra citra Farum, in qua quidem Terra ipsa Civitas sita est, gravium guerrarum agitatione commotis, & excuscatas in eisdem Regno, & Terra huiusmodi guerrarum occasione turbibus oppressa iustitia paceque fugata, tot passi sunt & patiuntur iniurias, opprobria, violentias, gravamina, praesuras, & damna nunc animalibus eorum abductis in praedam, nunc segetibus & Vineis ac fructiferis eorum arboribus aliis succisis, aut deceptis ignominiose tractatis, carcere afflictis aliter, nunc hominibus & mulieribus & ad importabiles redemptiones per varia tormenta compulsis, & nunc quod gravius est ipsorum sepe Concivibus nequiter interemptis in gravem divinae maiestatis contumeliam & offensam, ac nostrum & Ecclesiae memora-

Varia exponit Innocentius damna illata Civibus Beneventanis occasione bellicum, & portuorum malitia.

122



ta opprobrium, & ipsis ac nostrorum jurium detrimentum; quod nisi eis super hiis de remedio fuerit oportuno provisum, vix adicere poterunt ut resurgant.

Distincti Praedecessorum ad Ducatum Beneventanum extendit.

§. 4. Nos igitur hujusmodi eorumdem Communis injuriis, opprobriis, violentiis, gravaminibus, pressuris, & damnis pia consideratione pensatis volentes de illo super hoc remedio providere, per quod nobilium, potentum, & vicinorum eorumdem ac aliorum effraeni audacia, & presumptuosa temeritate repressis Commune ipsi ab injuriis violentiis gravaminibus pressuris, & damnis hujusmodi praeservati amoenitate pacis, & quietis dulcedine perfruatur, ac ipsorum, nostrorum, & Ecclesie memorate indemnitati jurium consulatur, hujusmodi processus dictorum Praedecessorum Clementis, & Joannis ac omnia & singula in eis contenta ad Civitatem Beneventanam eandem ac Territorium, & districtum ejus limitatum jam vel in antea limitandum, & ad dictos Commune sive Universitatem, necnon Cives Incolas, & habitatores Civitatis, & Territorii ac Districtus praedictorum, & morantes in eis praesentes, & posteros omnes, & singulos auctoritate Apostolica estendimus ac etiam prorogamus.

Clausula.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere &c.

Dat. die 27. Januar. 1355. An. III.

Datum Avenioni duodecimo Kalendas Februarii Pontificatus nostri anno Tertio.

VII.

Ex Regest. eodem.

Reformatio taxarum Curiae Civitatis Beneventan.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Delectat nos omnium modestia subditorum, & eos cupimus sub aequitatis jure temperantius vivere, qui publicis officiis deputantur, ut iusta pro laboribus mercede contenti, ab exactionibus indebitis se omnino cohibeant, & per intricata diffugia negociantes ad redemptiones indebitas non compellant.

Abusus nonnullos in Curia Benevent. irreptos ait.

§. 1. Sane ad audientiam nostram pervenit, quod Judices, & Notarii publici seu Tabelliones Civitatis Beneventan., quae ad Nos & Romanam Ecclesiam nullo medio pertinet, propriis finibus non contenti, pro Instrumentis, quae Notarii seu Tabelliones conficiunt, & in quibus iidem Judices se subscribunt, frequenter a contrahentibus exigunt excessiva salaria, & saepe interjectis praedjudicialibus dilationibus contrahentes ipsos ad redemptiones illicitas invite coarctant.

Taxae itaque praescribit.

§. 2. Volentes igitur super hoc de opportuno remedio providere, hujusmodi Judicum, & Notariorum seu Tabellionum ipsorum salaria auctoritate Apostolica praehabita moderatione debita, prout infra describitur, praesentium tenore taxamus.

§. 3. In primo siquidem salaria Notariorum seu Tabellionum ipsorum pro Instrumentis emptionis vel donationis aut permutationis sive Inventarii bonorum seu rerum, quae unam vel plures usque ad decem inclusive in Tribus, & quae plures usque ad triginta similiter inclusive in quatuor, quae autem plures usque ad quinquaginta etiam inclusive in sex, & quae plures usque ad octoginta uncias similiter inclusive in octo, quae ultra quantumcumque valuerint in decem; pro Instrumentis vero locationis, procurationis, quitationis, protestationis, taxationis alimentorum, dationis transactionis, vel in solum, aut tutela vel mundaldi dationis, ac omnium aliorum contractuum minorum in quatuor Carolenis argenti solvendis eidem Notariis, per eos quorum fuerint Instrumenta: Salarium vero Judicum pro tertia parte minus quam sit Salarium Notariorum, seu Tabellionum esse volumus praedictorum.

Salaris Notariis, & Judicibus danda pro contractibus minoribus.

§. 4. Pro salario vero Instrumentorum, quae confici contigerit de Testamentis, & ultimis voluntatibus Fidelium defunctorum, solvatur tam Notariis, seu Tabellionibus, quam Judicibus ipsis pro tertia parte, plus quam solvatur eis pro Instrumentis aliorum Contractuum quorumcumque, habito tamen respectu ad valorem bonorum, quae in Instrumentis Testamentorum fuerint comprehensa, sicut de aliis Instrumentis superius est expressum: nam cum sint majoris laboris & tedii, oportet esse illa mercedis etiam amplioris.

Pro Testamentis.

§. 5. Pro aliis vero scripturis, quae non sunt Instrumenta, solvantur eidem Notariis, seu Tabellionibus eorum Salaria, sicut contulerunt hactenus ei solvi.

Pro scripturis in Protocollo.

§. 6. Pro al breviora quoque, quam ipse idem Notarius in suo Prothocollo notavit, unum tantum, & pro illius quam Antecessor suus notaverat inventionem duos Carolenos Argenti volumus querenti, & inveniendi eam Notario exhiberi.

Pro Abbreviatura.

§. 7. Pro scriptura etiam, quae Abbreviatura dicitur tam Judex qua Notarius sive Tabellio uno Caroleno argenti tantummodo sint contenti.

Executio hujus Constitutionis.

§. 8. Decernimus igitur, & iubemus, ut iudices & notarii seu Tabelliones ipsi Civitatis eiusdem praesentes & futuri in eorum salariis sic hujusmodi taxationibus contententur, ut ultra illas aliquid petere, vel exigere de cetero non praesumant: ac ordinamus, quod notarii seu Tabelliones infra quindecim dies, Judices vero infra quatuor dies ad tardius, postquam in eis secundum taxationes nostras hujusmodi fuerit de ipsorum salariis debite satisfactum, reddant completa, & testata Instrumenta eis, quorum fuerint contractus, nisi fuerint forsitan impedimento legitimo praepediti.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae Constitutionis infringere &c.

Datum Avenioni octavo Idus Februarii Pontificatus nostri Anno Tertio.

Dat. die 6. Februar. 1355. An. III.

Ex.

IX.

VIII.

Ex Regest. in Archiv. Vatic.

Extensio Constitutionis contra Occupantes Jura & bona S. R. E. ad Invasores Terrarum, Locorum, Juriumque quorumcumque Ecclesiae Avenionen.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

LICET disponente Domino Ecclesiarum omnium cura Nobis imminet generalis, de Ecclesiae tamen Avenionen. statu dirigendo & conservando feliciter eo nobis est sollicitudo propensior, quo ipsius administrationem in spiritualibus & temporalibus Sedes Apostolica sibi usque ad ejus beneplacitum reservavit.

§. 1. Cum itaque mundo in malignoposito nonnulli, a quorum oculis Dei timor abscessit, ad Ecclesiae praefatae Bona & jura occupanda, sicut habet fide dignorum assertio, cogitatus crexerint & occupatrices manus extendere moliantur; Nos cupientes eidem Ecclesiae adversus hujusmodi praesumptionis audaciam Apostolicum adesse praesidium & favorem, ut eis, quos timor Dei a malo non revocat, malignandi licentiam poenarum asperitas interdicat, excommunicationis & anathematis ac alias omnes & singulas sententias, & poenas spirituales & temporales contra Invasores, & Impugnatores, ac Occupatores Civitatum, Terrarum, Castrorum, Locorum, & jurium Ecclesiae Romanae, cui auctore Domino praesidemus, & fautores, consiliatores, auxiliares, & adiutores eorum per nos & quorumcumque aliorum Praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum processu promulgatas, & insistas ad Invasores, Impugnatores, & Occupatores Castrorum, Villarum, Fortalitorum, Terrarum, Locorum, ac aliorum Bonorum, & jurium quorumcumque ad ipsam Ecclesiam Avenionen. immediate vel mediate spectantium omnium & singulorum, ac consiliatores, auxiliares, fautores, adiutores, & defensores eorum auctoritate Apostolica extendimus ac etiam prorogamus, volentes extensionem & prorogationem hujusmodi durante administratione hujusmodi duraturas.

Extensio de qua in Rubrica.

Clausula.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere &c.

Datum Avenioni undecimo Kalendas Junii Pontificatus nostri Anno Tertio.

Dat. die 22. Junii 1355. Pont. An. III.

Innovatio Sententiarum Clem. PP. VI. contra dantes, vel acquirentes Dominium, aut Jurisdictionem, vel praesentiam, aut obligationem super Castris, & Locis Patrimonii B. Petri in Tuscia, aut quomodo ea occupantes, earumdemque extensio ad alias Provincias Status Ecclesiastici.

Ex Regest. eodem.

Laudatam hic Clementis Constitutionem legere est Superius pag. 302.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Praemium.

Ecclesiarum omnium, quarum disponente Domino curam gerimus, debemus invigilare processibus, & providere sollicito, ne suorum detrimenta jurium patiantur: sed Romanae Ecclesiae sponsae nostrae eo tenemur vigilantius intendere commodis, & dispendiis obviare, quo Ecclesiae reliquae Pastorum, quibus commissae sunt, in opportunitatibus earum muniuntur auxiliis: haec Romani dumtaxat Pontificis praesidiis adjuvatur.

A Clemente VI. innovatae Praesentium Constitutionis, quibus, ne quis dominum, aut praesentiam illam in Terris Patrimonii B. Petri sibi vindicet praehibetur.

§. 1. Dudum felicitis recordationis Clementis Papa Sextus Praedecessor noster ad obviandum perveris illorum conatibus, qui Provinciae Patrimonii Beati Petri in Tuscia, quae juris & proprietatis Ecclesiae Romanae fore, ac eidem Ecclesiae immediate subesse dignoscitur, Civitates, Castra, & Villas, eorumque dominium, superioritatem, advocacionem, capitaneatum & jurisdictionem in ipsius Ecclesiae grave praedjudicium contra Constitutiones & ordinationes olim per felicitis recordationis Urbanum Quartum & Joannem vigesimum, secundum, ac diversos alios Romanos Pontifices Praedecessores dicti Clementis & nostros editas non verebantur diversis questibus coloribus tenere, occupare, sibi in eisdem dominium, superioritatem, & praesentiam vindicare, perpetua Constitutione sancivit, ut nulla Civitas, vel Communitas, nullaque singularis persona, cujuscumque conditionis, vel status existeret, deinceps in aliquibus Civitatibus Castris, seu Villis ipsius Patrimonii ad praefatam Romanam Ecclesiam spectantibus dominium, superioritatem, capitaneatum, advocacionem, jurisdictionem, seu aliquam praesentiam, seu praesentiam, praetextu cujuscumque venditionis, submissionis, recommendationis, concessionis, recognitionis, obligationis, contractus, vel pacti aut cujusvis alterius commercii, absque auctoritate Sedis Apostolicae speciali recipere auderet, vel sibi dominium, praesentiam, capitaneatum, seu jurisdictionem in praedictis Civitatibus, Castris, & Villis, ex quavis occasione seu causa quomodolibet vindicare, quodque Civitates & singulares personae submissiones, suppositiones, & subjectiones quascumque tunc in eas factas, & receptas, seu de facto, cum de jure non tenerent, quomodolibet attentatas dimittere tenerentur, nec Civitates, Castra, seu loca alia, quae se eis, ut praemittitur, submiserant, vel quomodolibet subjecerant, praetextu submissionis vel subjectionis alicujus, vel cujusvis contractus titulo valerent retinere: nullaque Universitas, seu Communitas Civitatis, Castris